



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Directorivm Sacerdotale & Clericorum Specvlvm Insigni Pietatis Ac Devotionis Supellectili exuberans**

**Kinckius, Matthias**

**Coloniæ, 1662**

De præparatione Altaris & ornamentorum ejus,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46628](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46628)

*complicatur: aut ponitur aliud genus Stola latioris in modum Planetæ plicata, & facta Communione resumit Planetam, ut prius. Similiter Subdiaconus dimittit eam cum lecturus est Epistolam, quam legit in Alba, & ea finita, osculataque Celebrantis manu Planetam resumit, ut prius.*

*7. In omnibus autem Ecclesiis prædictis diebus jejuniorum Alba tantum amicti ministrent: Subdiaconus cum Manipulo Diaconus etiam cum Stola ab humero sinistro pendente sub dextra.*

DE PRÆPARATIONE ALTARIS,  
& ornamentorum ejus.

XX.

Altare in quo sacrosanctum Missæ sacrificium celebrandum est, debet esse lapideum, & ab Episcopo consecratum: vel saltem ara lapidea, similiter ab Episcopo consecrata, in eo inserta, quæ tam ampla sit, ut Hostiam, & majorem partem Calicis capiat. Hoc Altare operiatur tribus mappis, seu robaleis mundis, ab Episcopo vel alio habente potestatem benedictis, superiori saltem oblonga,

ga,  
bu  
ta  
ad  
ve  
in  
ca  
qu  
tu  
co  
M  
re  
ti  
pu  
la  
seu  
Su  
qu  
Al  
  
R  
ran  
tab  
orn

ga, quæ usque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus, vel unica duplicata. Pallio quoque ornetur coloris quoad fieri potest, diei festo vel Officio convenientis. Super Altare collocetur Crux in medio, & candelabra saltem duo cum candelis accensis hinc & inde in utroque ejus latere. Ad Crucis pedem ponatur tabella Secretarum appellata. In cornu Epistolæ cusinus supponendus Missali: & ab eadem parte Epistolæ paratur cereus, ad elevationem Sacramenti accendendus, parva companula, ampullæ vitreæ vini & aquæ, cum pelvicula & manutergio mundo in fenestella, seu in parva mensa ad hæc præparata. Super Altare nihil omninò ponatur, quod ad Missæ sacrificium, vel ipsius Altaris ornamentum non pertineat.

---

### ANNOTATIONES.

Reprehenditur hic consuetudo inepta onerandi Altare parvis ac tenuibus imaginibus, tabellis & crucibus, quibus minuitur decus & ornamentum Altaris potius quam augetur.

In me-

In medio autem necessario ponenda Crux cum Crucifixo, rarò invenitur posita. Non est autem ponenda in Altari alia Crux præter eam, quæ in medio collocari debet, neque ulla monstrantia vacua pro ornamento.

In eodem capite offendunt, qui suum rosarium vel altari imponunt, vel superimpositum Calici aut circa brachium in ingressu gestant, tam Sacerdotes, quàm Ministri.

## RITUS SERVANDUS IN celebratione Missæ.

### DE PRÆPARATIONE SACER- dotis celebraturi.

#### I.

1. Sacerdos celebraturus Missam, prævia Confessione sacramentali, quando opus est, & saltem Matutino cum Laudibus absoluto, orationi aliquantum vacet, & Orationes inferius positas pro temporis opportunitate dicat. Deinde accedit ad locum in Sacristia, vel alibi præparatum, ubi paramenta, aliæque ad celebrationem necessaria habentur: